

neque qui confuleret bonum finem per medium bonum, sed indebito loco, aut tempore: ergo consilium bonum nequit esse sub aliqua ratione ad actum, qui ex aliqua parte est pravus.

Urgetur hoc: Nam in hoc obiecto, aut complexo, danda est elemosyna propter inam gloriam, secundum eam partem qua includit obiectum bonum secundum se, vel dicitur, aut consilium cum altera compare finis pravi per idem indivisibile iudicium, vel utraque pars dicitur, & consilium à duobus iudicij distinctis; sed nullo pacto iudicium terminatum ad elemosynam secundum se est actus prudentiæ, aut syneus: ergo non dicitur à prudentia. Minor quoad primam partem non indiget probatione, alias idem iudicium proveniret à virtute prudentiæ, & à vicio sibi contrario: Maximè quia iudicium dicitur malum finem nequit non esse imprudens. Quoad secundam partem ex dictis facile probatur: nam de ratione prudentiæ, & boni consilij est attendere in actu non solum obiectum, sed etiam finem, & reliquas circumstantias: ergo actus consensens, aut præcipiens præcisè obiectum bonum, & non potens consilium finem, & circumstantias, non est actus prudentiæ.

69. Secundò arguitur à ratione: Nam eatenus idem actus numero in esse nature potest esse simul bonus, & malus moraliter, in quantum attingit complexum secundum se ex parte bonum, & ex parte malum, uti est hoc complexum. Danda est elemosyna propter inam gloriam: vel hoc; *Errandum est ad dandum elemosynam*: vel hoc, *Reddendum est debitum uxori in loco sacro*, sed actus attingens indivisibiliter, & per modum vnius aliquid ex his complexis, nequit ex aliqua parte esse bonus: ergo nequit esse simul bonus, & malus. Maior continet genu nam mentem Adversariorem. Minor vero probatur: nam actus attingens aliquid ex his complexis non respicit illud sub aliqua ratione boni moralis: ergo ex nulla parte est bonus. Minor probatur discurrendo per singula: nam in primo complexo elemosyna præcisè secundum se non movet ad actum, sed ut subordinata fini pravo, alias idem actus consilietur, etiam si non moveret finis pravus: sed elemosyna, ut subordinata fini pravo, non est bona moraliter: ergo non attingitur ab illo actu sub aliqua ratione bona moraliter. Minor probatur: nam ratio *subqua* terminans prædictum actum vel est ipse finis pravus, vel est ipsa bonitas obiecti non secundum se, sed ut reduplicative connotans finem pravam, ex quibus quilibet est mala moraliter: ergo ratio quælibet est mala moraliter: ergo ratio adæquata, sub qua prædictum complexum terminat prædictum actum est mala moraliter: ergo elemosyna, ut subordinata fini pravo, ex nulla parte est bona moraliter.

Item in secundo complexo, in quo finis

est secundum se bonus, & medium pravum ratio *subqua* est bonitas finis non secundum se, sed ut insequibilis per medium pravum; sed ratio *subqua* connotans malum medium nequit esse formaliter bona: ergo secundum complexum non terminat actum sub aliqua ratione bona moraliter.

Tandem in tertio complexo, in quo obiectum secundum se est bonum, & etiam finis, ratio *subqua* terminandi, tam ex parte obiecti, quam ex parte finis formaliter connotat circumstantiam pravam; sed ratio *subqua*, dependens essentialiter tanquam à connotato à circumstantia prava, nequit esse bona formaliter, ut ex sa liquet: ergo tertium complexum, prout terminat prædictum actum, sub nulla ratione est bonum moraliter.

70. Hucusque dicta præcipue probant de actu interiori: sed ex consequenti etiam probant de actu exteriori, sive habeat moralitatem formalem distinctam à moralitate actus interioris; sive non: quia quocunque modo illum participat ab actu interiori: ergo si repugnat, eundem actum interiori esse simul bonum, & malum moraliter, etiam repugnat, actum exteriori esse simul bonum, & malum moraliter.

§. II.

Argumenta opposita sententiæ

71. Arguitur primò nonnullis authoritatibus D. Thomæ: Nam in hac quæst. 18. art. 4. ait: *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam, & secundum hoc contingit actionem, quæ est bona secundum speciem, vel secundum circumstantias, ordinari ad finem malum, vel e converso*. Eundem modum loquendi, imo expressiorem habet alijs in locis, quæ omittimus tum brevitate gratia, tum quia enodari possunt eadem solutione. Item infra q. 77. art. 2. probat, peccata suscipere magis, & minus, quia peccata non dicuntur privationem rectitudinis *in facto esse, sed in fieri*: ideoque nullus actus est ad eodè pravus, ut non retineat aliquam rectitudinem, quæ possit magis, ac magis privari. Tandem in hac 1.2. q. 1.4. art. 1.0. ad 2. docet, obstrictes Ægyptias remuneratas esse saltem præmio temporali pro mendacio: quod stare non possit, nisi in illo esset aliqua bonitas moralis ex aliquo sine honesto.

Ad hoc argumentum respondetur, mentem D. Thomæ satis patere ex dictis §. præced. imò veritatem nostræ assertionis satis adduci ex his, quæ adiecit primo testimonio proxime adducto, & nobis obiecto. Siquidem post verba in eo relata addit hæc: *Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum; bonum*

Dub. V. An idem actus simul, aut successive possit esse bonus &c?

nam autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit. Ex his (inquam) verbis satis colligitur veritas nostræ assertionis, tum ob axioma D. Dionysii. Ad hoc allatur: Tum, quia *ly simpliciter* significat, quod in re & exercitio actio nullam habet bonitatem moralem, illam tamen habet ex obiecto, nisi adveniret defectus ex sine pravo. Unde dum in prædicta actione concedit D. Thomas aliquam bonitatem, intelligendus est tantum de bonitate obiectiva fundamentalis, si sermo est de actione externa. Et si sermo est de actu interiori, intelligendus est etiam de bonitate formali fundamentalis prout contra posita obiectivè fundamentalis. Vel de bonitate fundamentalis obiectivæ, prout actus interior potest attingi ut obiectum ab alio actu interiori reflexo: quatenus utraque actio ex se præbet fundamentum, ut actus esset bonus, vel obiectivè, vel actualiter intra lineam formalem moralem, nisi obstarit impedimentum ex aliquo capite formaliter pravo. Eodem modo exponendus est in secundo testimonio. Et tunc ex eo, quod doctrina, seu ratio in eo contenta etiam probat in actu, qui nullum caput secundum se bonum respicit, à quo posset bonitatem aliquam moralem desumere, ut osium Dei.

Ad tertium testimonium respondetur cum D. Thoma 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 2. ubi ita se explicat: *Dicendum, quod obstrictes non sunt remunerata pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium. Unde signanter dicitur Exod. 1. Et qui timuerunt obstrictes Deum, adificavit illis domos. Mendacium postea sequens non fuit meritorium.*

72. Arguitur secundò: Nam actus attingens obiectum bonum secundum se propter malum finem, v. g. volitio dandi elemosynam propter vanam gloriam, recipit aliquam moralitatem ab obiecto secundum se; sed non moralitatem malitiæ: ergo bonitatis; atque ideo est simul bonus, & malus. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Tum, quia libere attingit obiectum. Tum etiam: nam bonitas actus desumpta ex obiecto non dependet ex fine, & sic quando habet finem bonum, habet diversam essentialem, & specificam moralitatem ex obiecto, & aliam diversam, & accidentalem à fine: ergo volitio dandi elemosynam propter vanam gloriam etiam recipit moralitatem ab obiecto secundum se. Tum denique: nam ille actus habet rationem *intentionis, & electionis*, itaque, quatenus est electio, specificatur à fine malo, vel ab obiecto per modum medij: sub ratione tamen finis & ut est intentio, specificatur ab obiecto secundum se; sed ut est electio accipit moralitatem à fine, & ab obiecto per modum medij: ergo etiam ut est intentio.

Confirmatur: Nam hoc obiectum, *Danda est elemosyna*, secundum se semper est bonum. *Paul. Theol. Salm. Tom. II.*

num moraliter, & capax tribuendi actui bonitatem moralem, sicut hoc, *Bonum est facientium*; sed ex eo, quod volitio dandi elemosynam ordinat eam ad malum finem, non tollit, quod attingat illud obiectum secundum se: ergo accipit bonitatem moralem ex obiecto.

Ad argumentum respondetur negando maiorem: Quia reverà obiectum secundum se bonum, & actum propter malum finem non est bonum obiectivè moraliter, sed tantum in esse physico, seu in linea morali fundamentalis: quia non est conforme regulis morum, vel dictamini prudentiæ, quæ non dicitur dandum esse elemosynam secundum se, sed *quando oportet, ubi oportet, & propter quid oportet*. ¶ Ad primam probationem dicimus, quod etiam actus versans circa obiectum indifferens propter bonum, aut malum finem exerceret libere circa ipsum obiectum, & non propter eam recipit ex obiecto aliquam moralitatem, ut infra dicemus. Et ratio utrobique est eadem: Tum, quia libertas non est ipsa moralitas, sed est separabilis ab ea saltem per accidens, ut contingeret, si quis conformetur cum opinione probabilis, vel operetur ex ignorantia invincibili. Tum etiam: quia sicut prudentia non dicitur obiectum indifferens, ita non dicitur obiectum bonum secundum se, nisi attentis omnibus circumstantiis. Et hæc ratio illud obiectum solum terminat actum secundum suam bonitatem physicam.

Ad secundum respondetur negando antecedens. Quia bonitas moralis, quæ desumenda est ex obiecto bono secundum se, licet non dependeat essentialiter à fine bono, & alijs circumstantiis, tanquam à ratione formali; dependet tamen ab illis tanquam à conditionibus sine quibus non, propter rationem proximè tactam. Quocirca, si non concurrant omnes circumstantiæ bonæ, actus nullam moralitatem accipit ab obiecto, sed primam, essentialem, & specificam accipit à circumstantia prava. Et si obiectum connotat omnes circumstantias bonas, ab obiecto accipit primam bonitatem, sed semper cum dependentia ab illis tanquam à connotato, maxime à fine.

Ad tertium respondetur, quod diverso modo loquendum est de actu terminato ab obiecto bonum propter malum finem in esse physico, ac in esse morali. Si enim sermo sit de eo, prout pertinet ad lineam physicam, fatetur, quod habet rationem intentionis, & electionis, & recipit ab obiecto duplicem bonitatem physicam, aliam sub muncere *intentionis*, desumptam ab obiecto secundum se; alteram sub muncere *electionis* ab eodem obiecto per bonitatem emendicantem à fine; vel ipso sine intrante in recto per modum rationis *subqua*, aut proxima, aut radicali. At si sermo sit de eo in genere moris, tantum habet rationem *electionis*, & nullam aliam moralitatem habet præter malitiam de-

sumptam à fine : quia obiectum hoc pacto acceptum non est conforme prudentiæ.

Ad confirmationem respondetur, esse latum discrimen inter obiectum hoc, *Danda est eleemosyna secundum se*; & hoc, *Bonum est faciendum*, quia in hoc posteriori includuntur omnes circumstantiæ, quæ requiruntur, vt actus hic & nunc honeste fiat, & hac ratione potest imperari à prudentia. In priori autem obiecto abstrahuntur circumstantiæ; & ideo deficit circumspexio prudentiæ essentialiter requisita ad eius dictamen; & propter eandem rationem nequit dictari ab illa. Et si hoc accidit obiecto precisis circumstantiis, quod dicemus de eodem obiecto commotante hic & nunc aliquam circumstantiam pravam?

73 Arguitur tertio: Nam potest quis eodem actu intentionis intendere in eodem obiecto secundum se indifferenti duos fines inaequatos, inter se non subordinatos, alium bonum, & alium pravum; sed tunc ille actus haberet bonitatem, & malitiam moralem ab utroque fine: ergo idem actus potest simul esse bonus, & malus moraliter. Vtraque præmissa probatur eleganti testimonio Div. Thomæ supra quest. 1. art. 3. ad 3. ubi ait: *Possibile est, quod unus actus secundum speciem naturæ ordinetur ad diversos fines voluntatis: sicut hoc ipsum, quod est occidere hominem, quod est idem secundum speciem naturæ, potest ordinari, sicut in finem, in conservationem iustitiæ, & ad satisfaciendum iræ. Et ex hoc erant diversi actus secundum speciem moris: quia uno modo erit actus virtutis, & alio modo erit actus vitij.*

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem in sensu proximè explicando; & negando minorem. Ad testimonium D. Thomæ dicendum est, non loqui de eodem numero actu, sed de eodem specie actu in linea physica, qui potest ordinari successive ad duos fines inter se non subordinatos, alium bonum, & alterum malum, qui quidem actus numero distincti licet in esse physico non distinguantur specie, distinguantur tamen in esse moris. Quæ expositio colligitur ex his, quæ statim addit: *Et ideo nihil prohibet actus, qui sunt idem secundum speciem naturæ, esse diversos secundum speciem moris, & e converso. Vbi actus secundum speciem naturæ sumuntur in eadem linea in plurali.*

Sed pro huius luce: Nota, dupliciter posse intelligi, quod voluntas eodem numero actu ordinetur ad duos fines inaequatos inter se non subordinatos: vel ita vt subordinentur alteri tertio: Et hoc pacto nequit esse simul bonus, & malus moraliter: nam prædictus finis tertius & ultimus, vel est malus, vel est bonus, vel indifferens: si est malus, intentio vtrique est mala adæquate, sicut diximus de volitione dandi eleemosynam propter malum finem: Si est bonus,

etiam adæquate est mala, sicut diximus de furto propter dandam eleemosynam: Si est indifferens, idem est, ac si esset malus: quia actus habens obiectum indifferens, & sistens in eo, est adæquate malus propter infra dicenda.

Vel ita, quod non subordinentur alteri tertio. Et hoc nec potest dici; nec esset ex aliqua parte bonus. Ratio primi est: quia voluntas potest intendere plura vt plura, quod perpetuo negat D. Thomas, sicut quod intellectus intelligat plura vt plura. Videantur insuper, quæ diximus tract. 8. disp. 1. n. 87. Ratio secundi est: quia prudentia non dicitur actum quoad aliquam partem, sine attentione omnium, quæ quomodocumque occurrunt; sicut de actu habente obiectum secundum se bonum, & bonum finem, sine debitis verò circumstantiis supra dictum est. Et cum ibi occurreret finis pravus, qui non subijcitur dictamini prudentiæ, inde est, quod ille actus ex nulla parte esset bonus.

§. III.

Reliqua argumenta.

74 Arguitur quarto: Nam volitio eleemosynæ propter vanam gloriam est elicità à virtute misericordię; sed virtus nequit elicere nisi actum moraliter bonum: ergo ille actus est simul bonus, & malus moraliter. Minor constat: quia nequit operari nisi circa suum obiectum specificatum, quod est bonum honestum sub ratione honesti. Maior verò probatur: Tum, quia qui habet habitum misericordię, facilius est ad illos actus eliciendos etiam ex pravo fine, quam qui illo caret. Tum etiam: quia per tales actus augetur facilitas dandi eleemosynam, non solum ob illum finem pravum, sed etiam propter propriam & intrinsecam honestatem ipsius eleemosynę. Tum denique: quia potest contingere, quod actus eleemosynę inceptus ex recto fine, & elicitus ab habitu misericordię continuetur ex inani gloria: ergo etiam elicetur postea ab eodem habitu misericordię.

Et confirmatur: Nam potest quis malè vt virtutibus moralibus. Et quidem de iusticia expressè docet D. Thomas 2. 2. q. 57. art. 1. ubi ait: *Iustum dicitur aliquid, quasi habens relictam iustitiam, ad quod terminatur actio iustitiæ, etiam non considerato qualiter ab agente fiat.* Et de fide satis colligitur ex his, quæ 2. 2. q. 47. art. 3. ad 1. ait: *Fides in sui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum;* constat autem, quod actus virtutis, ex eo quod talis, est moraliter bonus, & ex eo quod illo quis vtatur malè, ob pravum finem, v. g. ob vanam gloriam, est moraliter malus: ergo.

Ad argumentum respondetur negando ma.

maiores: quia nulla virtus operatur sine dictamine prudentiæ. Vnde Arist. 2. Ethic. diffinit virtutem per hoc, quod est habitus electivus, et prudens determinaverit. Ad primam probationem concedo assumptum; sed negatur id, quod intenditur: quia illa maior facilitas non provenit ex hoc, quod ipsa virtus concurret ad dandam eleemosynam propter inanem gloriam; sed quia, quando acquisita fuit, remota sunt aliqua impedimenta, quæ possent talem actum retardare. Sicut qui habet habitum misericordię acquisitæ, facilius est ad actus iustitæ, non quia virtus naturalis influat immediate in actum supernaturalem, sed quia tollit nonnulla impedimenta occurrentia in materia misericordię vti.

Ad secundam respondetur concedendo etiam assumptum, si intelligatur modo proximè relato: nam per actus dandi eleemosynam ob inanem gloriam auferuntur impedimenta ad veros actus misericordię. Sicut qui consuetus erat ieiunare propter idolum, conversus facilis ieiunabat propter Deum. ¶ Et si dicas, quod tales actus elicitur propter inanem gloriam generant habitum. Dicimus, quod generant habitum vitij præcisè, per quod inclinatur subiectum ad pravum illum finem per medium bonum, & malum; quorum diversitas fe habet de materiali: sicut actus secundum se bonus, aut indifferens, qui est causa pravæ omissionis, v. g. dandi eleemosynam, se habet de materiali in distinctione illorum quoad generationem vitij oppositi virtuti misericordię. ¶ Et si inles, quod per actus eleemosynæ ob inanem gloriam destruitur vitium oppositum, vel minuitur; & hoc nequit fieri, nisi per oppositam virtutem. Dicimus, quod ad destructionem, vel diminutionem alicuius vitij sufficit, quod auferatur materia circa quam, aut minuitur; quod fit per actus, sive moraliter, sive fundamentaliter virtutis oppositæ.

Ad tertiam respondetur primo, quod volitio dandi eleemosynam tunc casus esset realiter distincta à precedenti: quia electio mutatur secundum se totam, dum variatur intentio, à qua dependet tanquam à causa. ¶ Respondetur secundò, quod perseveraret eadem electio entitative; variata tamen intentione de bona in malam, etiam electio variatur secundum se totam in genere moris; & sic non elicetur à virtute misericordię, dum continuaretur ob inanem gloriam.

75 Ad confirmationem nequit commodè responderi, nisi distinguendo inter virtutes: Nam aliter discurrendum est de virtutibus moralibus, & Theologicis, ac de purè intellectuales, & aliter de illis sumptis per modum obiecti, ac de illis sumptis per modum principij actus. Igitur, si sermo sit de virtutibus per modum obiecti, non est dubium, quod potest omnibus illis

Paul. I. vol. Salm. Tom. II.

quis malè vt: quia potest quancunque odisse, de ea velut occasione desumpta superbiere, & pravè sentire: Et in hoc sensu D. August. form. 13. de Verbis Apost. dicit: *Superbia etiam bonis operibus insidiat, vt perant.* Sed ex hoc nihil sequitur contra nos: nam hoc pacto peccatum potest esse causa virtutis, vt quando sumitur vt occasio ad ponendum virtutem.

Si verò sermo sit de virtutibus per modum principij, ita vt ipsa virtus influat, vel applicet active ad aliquem actum: Dicimus, & supponimus primo, quod virtus purè intellectualis (quæ in ratione talis distinguitur à prudentia) potest influere in actum moraliter pravum; & sic operans potest ea male vt: quia non ordinatur persè ad rectificandum appetitum in genere moralium, neque respicit persè bonum morale, sed verum purè speculabile. Neque tunc actus esset simul bonus, & malus moraliter; & sic non est intentum. Idem satis probabiliter potest sustineri de fide supernaturali, propter eandem rationem, quam docet D. Thomas loco in confirmatione relato. Et quia non respicit suum obiectum sub ratione boni, sed sub ratione veri; & hac ratione est persè primo speculativa, & ita non destruitur actus eius per hoc, quod ordinatur ad finem pravum: quia hoc non opponitur certitadini essentiali illius, sicut in alia virtute purè intellectuali contingit. Sed tunc actus fidei non esset simul bonus, & malus moraliter, & ita nihil contra nos.

Supponimus secundò, charitatem theologiam non posse influere in actum ex aliqua parte pravum, neque posse aliquem ea male vt: nec eius actum posse adhuc materialiter sumptum vitari: quia est amor Dei super omnia respectuens essentialiter ipsam Deum per modum ultimi finis: cui si adiungeretur aliqua circumstantia prava, ex hoc ipso destrueretur essentialitas illius, & non maneret amor Dei super omnia. Vnde solum reatæ stabilire, quod dicendum sit de virtutibus moralibus.

76 Dicendum est resolutorè, quod nullus potest eis male vt, neque vile eis potest influere in actum ex aliqua parte pravam. Et constat tum autoritate D. Thomæ infra quest. 55. art. 4. ubi diffinit virtutem, maximè moralium, inquit cum D. August. quod est, *Qua bene vivitur, qua nemo malè vitatur.* Tum ratione: quia virtus moralis non influat in actum, nisi si præante dictamine prudentiæ; quæ non dicitur actum ex aliqua parte pravum, vt sapè dictum est. Idem dicendum est de spe theologica: quia ordinatur persè ad perficiendum voluntatem in ordine ad bonum moraliter, non minus propriè quam virtus moralis. Ideoque D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 1. ad 1. ait, quod *Spe attingente Deum nullus potest malè vt; sicut ne virtute morali attingente rationem.*

Ad id, quod confirmatio tangit de iusticia,

Ooo 2. tia,

tia, responderetur, sensum D. Thomae, & discrimen inter eam, & alias virtutes morales non stare in eo, quod rectitudo formalis iustitiae, prout pertinet ad genus moris, non defumatur per comparationem ad operantem; & rectitudo aliarum virtutum defumatur per comparationem ad illum: nam actus iustitiae ex ratione generica virtutis etiam petit ad hoc, ut sit bona moraliter, quod fiat ex recto fine, tempore, & alijs circumstantijs debitis. Discrimen tantum stat in eo, quod rectitudo materialis specifica iustitiae non defumatur per comparationem ad operantem, sed per comparationem ad aliud; & rectitudo materialis aliarum virtutum defumatur per comparationem ad operantem: v.g. rectitudo temperantiae non est, quod comedat tantum determinate, sed quantum est necessarium dispositioni, & necessitati subiecti: sed rectitudo materialis relictionis, quae est actus iustitiae, sumitur per comparationem rei ad rem, id est quod solvat tantum, quantum absurdum. Verum est servet hanc aequalitatem rei ad rem, in qua consistit eius medium, si fiat sine recto fine, erit adaequate vitiosus, nec proveniret sub aliqua ratione tanquam a principio elicitive a virtute iustitiae, sicut de actibus aliarum virtutum moralium dictum est.

77 Vitio arguitur: Nam adultus potest velles suscipere baptismum ex fine inanis gloriae; sed talis volitio esset moraliter bona, & mala: ergo idem actus potest esse bonus, & malus moraliter. Minor quoad primam, & precipuam partem suadet: nam est sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam; sed per actum adaequate malum nequit disponi ad recipiendam gratiam: ergo.

Et confirmatur in actu subeundi martyrium ob inanem gloriam, qui quidem est simul bonus, & malus moraliter: ergo. Antecedens quoad primam partem probatur: nam qui ita pareretur martyrium, etiam si prius esset in peccato mortali, iustificaretur, & salvus fieret: quia martyrium causat gratiam ex opere operato, sicut sacramentum baptismi, ut patet in pueris Innocentibus, & reciperetur ab Ecclesia ut *martyr*: ergo esset bonus moraliter.

Ad argumentum cum confirmatione respondetur concedendo, quod baptismus in illa hypothesi conferret gratiam; & negando quod martyrium illam conferret. Et ratio disparitatis est: quia ad suscipiendum baptismum, & eius effectum ex opere operato tantum requiritur per modum dispositionis, vel (ut melius loquamur) per modum conditionis consensus physici, formalis, vel interpretativus voluntatis, & quod non ponat obicem; quem tantum ponit peccatum mortale, non veniale ex inani gloria, sicut non requiritur, quod sit moraliter bonus. Ad ad martyrium requiritur, quod ordinetur ad bonum alicuius virtutis: quae relatio se ha-

bet perse tum ad actum virtutis fortitudinis, ut in hac disputat. iam dictum est: tum ad proprium & verum martyrium. Unde deficiente praedicta relatione, quinimo stante ordinatione antecedenti ad pravum finem, nec est verum martyrium, nec causat gratiam, ex defectu praedictae relationis, quae se habet ut vera dispositio. Adde: satis probabile esse committere peccatum mortale pertinens ad prodigralitatem, ita profundere sanguinem, ob materiam gravem circa quam versatur. Sicut satis probabile est, committere peccatum mortale, qui accederet ad sacramentum penitentiae ex affectu inanis gloriae; supposito quod se habeat antecedenter.

§. IV.

Posterior assertio affirmans successionem bonitatis, & malitiae in eodem actu.

78 Dicendum est secundum, eundem numero actum voluntatis posse successive transire de bono in malum moraliter. In hac assertione non determinamus circa omnes actus, quia sine controversia admittendum est dari aliquos actus, quibus ex speciali ratione hoc repugnet, ut est amor supernaturalis Dei, & odium Dei, & alij similes, sed ad veritatem assertionis sufficit, quod possit convenire alicui actui, quia de omni actu negat opposita sententia.

Assertio vero nostra deducitur non obicere ex doctrina D. Thomae: Nam quest. 19. sequitur art. 1. ait, sic se habere ad actum voluntatis bonum, & malum, sicut ad actum intellectus verum, & falsum; sed idem numero actus intellectus potest transire de vero in falsum, & e contra: ergo etiam idem actus voluntatis de bono in malum, & e converso. Minor constat in hac propositione mentali, *Petrus sedet*, quae eadem numero potest perseverare sedente Petro, & non sedente; & sedente est vera; & non sedente est falsa. Et infra quest. 88. art. 4. docet: *Peccatum veniale fieri mortale potest tripliciter intelligi. Uno modo sic, quod idem actus numero primò sit peccatum veniale, & postea mortale. Et hoc esse non potest: quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis: unde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur, quomodo actio secundum naturam sit continua. Vbi, ut vides, sermo est de actu interiori voluntatis, de quo asseritur, quod est idem numero secundum naturam. Ex quo vrgetur contra Adversarios: Si idem numero actus in esse naturae non possit transire de bono in malum moraliter; nec possit transire de peccato veniali in mortale: par enim est utrobique ratio; sed hoc secundum concedit D. Thomas: ergo e concedere tenemur primum ex consequentia doctrinae,*

Dein-

79 Deinde probatur ratione fundamentali: Nam actus voluntatis in esse naturae se habet ad bonitatem, & malitiam, sicut subiectum ad accidentia communia; sed, eodem subiecto numero permanente, possunt et successive advenire diversa accidentia communia, etiam contraria: ergo etiam eidem numero actui voluntatis permanenti possunt et successive advenire bonitas, & malitia moralis. Minor constat: nam de ratione accidentis communis est, quod possit adesse, & abesse absque subiecti corruptione. Et maior satis ostensa est a nobis supra a numer. 6.

Et confirmatur: Nam tunc actus potest manere idem numero in esse physico, quando manet idem numero obiectum in esse physico; sed potest variari obiectum in esse moris, quin varietur obiectum in esse physico: ergo potest variari actus in esse moris, & de bono transire in malum moraliter, quin varietur in esse physico. Minor probatur: nam obiectum actus interioris est actio externa, ut saepe docet D. Thomas; sed actio externa potest variari in esse moris, quin varietur in esse physico: Actio enim vescendi carnibus ad naturalem corporis sustentationem incepta tempore non prohibito, & continuata tempore prohibito absque interruptione variatur in esse moris, de bona in malam, manens eadem in esse physico ob continuationem: ergo potest variari obiectum in esse moris, quin varietur in esse physico.

Explicatur hoc: Nam praedicta actio tempore non prohibito, & tempore prohibito potest proponi sub eadem ratione in esse physico; sed propositio prohibitionis, & non prohibitionis sunt differentiae omnino accidentales obiecto in esse physico: ergo potest proponi idem obiectum formale in esse physico tempore prohibito, & non prohibito. Maior constat: nam vesci carnibus ad naturalem corporis sustentationem, & sub hac eadem ratione potest proponi tempore prohibito, & non prohibito. Minor etiam liquet: alias actio externa vescendi carnibus non posset transire de bona in malam; cuius oppositum supponimus ex dictis numer. 65.

80 Respondent communiter Adversarii, ratione cum confirmatione verum tenere, si perseveraret idem iudicium praetium dictans hic & nunc, actionem praedictam prosequendam. At non est ita, quia iudicium dictans hic & nunc tempore non prohibito actionem vescendi carnibus debet esse consideratum, & verum, & tempore prohibito est in consideratum culpabiliter, aut erroneum, quae nequeunt non entitative, & specie distingui, quod stare non possent nisi obiecta ab eis proposita distinguerentur formaliter in esse obiecti. Et hoc liquet: nam primum iudicium proponit obiectum sub ratione *bonestae*, & secundum sub ratione *inbonestae*. Adde: quia

accidente prohibitionis de novo elicitur hic actus, *Volo vesci carnibus, non obstante prohibitionis.*

Sed haec evasio refellitur duplici via, & quia potest perseverare idem iudicium praetium in esse physico, ita, dum primò elicitur, sit a prudentia, & postea tempore prohibito ab imprudentia; & quia, eodem varietur iudicium in esse physico, non propterea actus voluntatis variatur in esse physico. Igitur, primam viam accipiendum, refellitur sic: Nam idem numero iudicium in esse physico potest transire de prudenti in imprudens: ergo ex hac parte non repugnat, quod idem actus voluntatis transiret de bono in malum moraliter. Antecedens probatur: nam idem iudicium potest transire de vero in falsum: nulla enim est repugnantia in eo, quod Petro sedente, & non sedente continet intellectus hoc numero iudicium, *Petrus sedet*; quod sedente est verum; & non sedente falsum est: ergo etiam potest transire de prudenti in imprudens. Tum etiam: nam idem iudicium de considerato potest transire in inconsideratum non per inconsiderationem alicuius, quod antea considerabat, sed alterius postea adventientis, quod tenetur considerare, ut in casu proposito prohibitionis: ergo idem, quod prius. Tum denique ratione: nam, ut perseveret idem iudicium in esse physico, satis est, quod perseveret idem obiectum formale in esse physico; sed ratio *bonestae*, & *inbonestae* non pertinent in illa actione externa ad rationem *subquam* in esse physico, sed sunt pure accidentales: neque opus est, quod honestas, aut inhonestas proponantur explicitè: ergo idem iudicium in esse physico potest transire de prudenti in imprudens, & dirigere praetice eundem numero actum successive bonum, & malum moraliter.

81 Vterius refellitur iuxta secundam viam: Nam ex eo, quod iudicia distinguantur entitative, non inferitur, actus voluntatis necessariò distingui: ergo etiam ex hac parte idem numero actus voluntatis potest successive transire de bono in malum moraliter, aut e converso. Antecedens probatur primò: Nam idem numero actus voluntatis nunc elicitur necessario ex imperfecta cognitione, potest continuari liberè adveniente cognitione perfecta, eo quod libertas est praedicatum accidentale entitatis actus, ut diximus tract. praeced. disp. 1. num. 12. & numer. 22. sed eadem ratio militat in actu, prout transit de bono in malum moraliter: ergo, multiplicatis iudicijs, non opus est, quod distinguantur actus voluntatis. Secundò: Nam amor Dei per charitatem in via regulatur per cognitionem fidei, & in patria per visionem beatam; & tamen, stantibus his iudicijs realiter, & specie distinctis, potest amor Dei idem numero continuari in via, & in patria: ergo idem, quod prius. Tertio: Nam quoties iudicia proponunt idem

idem obiectum formale, & nulla motula intercedit inter illa, non opus est, quod actus voluntatis discontinuatur; & hac ratione quamvis in Angelo bono pro primo, & secundo instanti darentur iudicia practica realiter distincta, in probabiliori sententia, amor Dei nullam discontinuationem subit, sed iudicia, quae proponunt actionem vescendi carnis ad naturalem sustentationem, proponunt in esse physico idem obiectum formale: ergo non opus est, quod actus voluntatis in esse physico discontinuatur, sed potest transire de bono in malum. *Maximè*: Quia si iudicia, & actus voluntatis discontinuatur, esset, quia obiectum proponitur nunc sub ratione *bonestis*, & postea sub ratione *inbonestis*; sed hoc arguit distinctionem specificam non solum accidentalem, & in genere moris, sed etiam essentialem, & in genere physico; quam non concedunt Adversarii concedentes moralitatem esse predicatum accidentale actus: ergo nec ex illa ratione debet inferri diversitas realis in actibus, sive intellectus, sive voluntatis.

Ex dictis preoccupatæ manent satis obiectiones Adversariorum, quin opus sit cas singularem latim proponere, & enodare.

DISPUTATIO II.

De Moralitate ex circumstantiis.

MNES Theologi distinguunt in actibus moralibus duplicem moralitatem, aliam substantialem, & primariam desumptam ex obiecto, de qua egimus disp. præc. per totam; alteram accidentalem, & secundariam, quam habere dicuntur ex circumstantiis, cui operam damus in hac secunda disputatione. Nomine tamen *circumstantie* hic intelligitur id, quod circumstat obiectum actus moralis, & actum ipsum iam constitutum in suo esse specifico, non tantum in esse nature considerato, sed etiam in genere moris. Quare de ratione circumstantie moralis est, quod afficiat actum morale ut *talem* per modum accidentis, quod possit adesse, & abesse, salva specifica, & essentiali moralitate desumpta ex obiecto: & hac de causa *circumflare* dicitur, non verò constitutere per modum partis essentialis, aut integralis, ad similitudinem accidentis physici.

Pro cuius maiori luce: Nota, circumstantias actus humani esse in triplici differentia: nam alia sunt, quae tantum circumstant actum in esse physico, & nullo modo conducunt ad moralitatem, ut quod occisio fiat mane, vel vespere: & hæc non pertinent ad hunc tractatum, & disputationem. Aliæ sunt, quæ necessariò concomitantur omnem actum morale in ratione com-

muni actus moralis, & in actu bono moraliter obedientia ad Deum & ad legem; & in actu malo inobedientia, ingratitude, & alia huiusmodi: & nec de his est sermo in hac disputatione, vel quia non sunt proprie circumstantia, sed quædam rationes transcendentales ipsius actus: vel quia licet sint circumstantiæ morales, sunt verò communes omnibus actibus. Aliæ tandem sunt, quæ afficiunt actum morale, & non tanquam conditiones generales, & transcendentales, sed tanquam accidentia specialia illius. Et de his agimus in præfati.

Huiusmodi autem circumstantiæ, iuxta communem sensum Theologorum, sunt septem, ad quas, si alie sunt, possunt reduci: Et comprehenduntur in hoc versu: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Circumstantia *quis* non significat personam ipsam, quæ est principium operationis, quia pertinet ad substantiam actus; sed tantum denotat conditionem personæ, ut si sit publica, vel privata; Religiosus, aut secularis; coniugatus, vel solutus. *Quid* non significat ipsum obiectum substantiale actus, propter eandem rationem, sed significat *tantum*, v. g. magnum, vel parvum in re ablata per furtum. Ad quam reducitur circumstantia *circa quid*, cuius meminit Philof. 3. Ethicor. ut videri potest in D. Thoma supra q. 7. art. 3. *Vbi* denotat circumstantiam loci, ut si sit facer, vel prophanus; occultus, vel publicus. *Quibus auxiliis* dicitur instrumenta, quibus actus exercetur: ut si percussio fuit sine, vel ense, vel ad sollicitandam feminam vitur quis mediatrix. *Cur* significat finem extrinsecum operantis, ut dum quis furatur ad machinandum, vel ieiunat, ut satisfaciat pro peccatis. *Quomodo* significat modum actus, ut intentionem, & remissionem illius; maiorem, vel minorem advertentiam. Et *quando* significat durationem actus, ut si duret per unam horam, aut dimidiam: significat etiam, si fiat in die festo, vel feriali.

Quoties solet assignari ab aliquibus inter circumstantias morales. Ad quos intelligentiam nota, quod vel significat numerum actuum, & hoc pacto non est circumstantia, sed significat ipsam substantiam plurium actuum: cuius signum est, quod tenetur quis eos in confessione aperire, etiam in suppositione quod non tenetur declarare circumstantias pure aggravantes, & non mutantes speciem. Vel significat frequentiam peccandi, ex quo subsequens peccatum videtur gravius: & hoc modo est circumstantia, sed potest reduci ad *quomodo*, vel *quando*. Quibus scitis, sit:



DUBIUM I.

Utrum omnis actus humanus habeat aliquam moralitatem ex circumstantiis

PLura in hoc titulo continentur, quæ ad eius maiorem claritatem resolvenda sunt pluribus conclusionibus.

S. I.

Prima assertio.

Dicendum est *primò*, omnem actum morale sive internum, sive externum habere aliquam moralitatem ex circumstantiis. Ita D. Thomas in præf. art. 3. Arist. relatus ab eodem Angelico Præceptore ibidem in argum. *Sed contra*, Magister Sent. in 2. dist. 38. & 40. Scotus 2. dist. 7. quest. vnic. §. *Ad solutionem*, & quodlib. 18. §. *De primo*, quos sequuntur communiter Theologi. Et habetur expresse ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ubi definit, explicandas esse in confessione circumstantias mutantes speciem peccati: ex quo inferitur, actum virtutis etiam habere aliquam moralitatem morale ex ipsis.

Et probatur *primò* ratione evidenti: Nam nulla est actio humana, quæ præter bonitatem, aut malitiam desumptam ex obiecto, non habeat ex circumstantiis aliquam accidentalem, quæ potest adesse, & abesse sine destructione bonitatis, aut malitiae desumptæ ex obiecto: ergo omnis actus moralis sive internus, sive externus desumit aliquam moralitatem ex circumstantiis. Antecedens probatur: nam omnis actus humanus ex circumstantiis redditur magis, vel minus conformis regulis morum; magis, vel minus difformis magis, vel minus meritorius, aut demeritorius, magis vel minus dignus laude, vel vituperio. Quis enim neget, quod est magis conformis regulis morum actus charitatis intensior, quam remissus, actus durans per unam horam, quam per dimidiam; actus, qui fit ex voto, quam sine illo; actus dandi elemosynam magnam; quam parvam? Similiter quis neget, quod est magis difformis actus peccati magis intensus, quam remissus, & qui durat per longum tempus, quam per brevius, homicidium Clerici, quam laici?

3 Deinde probatur ratione D. Thomæ supra relati: Nam res in esse nature aliquam perfectionem recipit ex accidentibus, sive propriis, sive communibus: ergo etiam actus in esse morali non recipit totam bonitatem, aut malitiam ex obiecto, sed aliquam recipit ex circumstantiis, quæ sunt accidentia obiecti. Antecedens ut certum debet supponi. Pro quo videri potest Div. Thomæ 1. part. quest. 5. art. 1. Consequentia verò probatur: ideo enim antecedens est verum,

quia substantia creata secundum suam essentiam est finita; sed eadem ratio militat in actu morali ut moralis: ergo si res in esse nature habet aliquam perfectionem desumptam ex accidentibus, etiam actus moralis habet aliquam bonitatem, & malitiam ex circumstantiis.

4 Respondet Durandus Princeps sententiæ contrariæ, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Rationem disparitatis affert: quia substantia est verè subiectum accidentium, & propterea perficitur ab eis. Actus verò humanus propriè non est subiectum accidentis, quia est accidens; ideoque actus moralis non perficitur ab aliquo accidenti morali.

Contra est: Nam sicut substantia est primum subiectum in esse physico, ita actus moralis, secundum ordinem quem dicit ad obiectum ut morale, est primum subiectum in ordine morali; sed quia in ordine physico substantia est primum subiectum, est perfectibile per accidentia: ergo etiam actus moralis respicit aliquas circumstantias accidentales, per ordinem ad quas possit desumere aliquam perfectionem moralem, sitque verè subiectum illius. *Maximè*: Quia est unum accidens non sit verè subiectum quod alterius accidentis, verè tamen est subiectum quo illius; & ita actus in esse physico est verè subiectum quo moralitatis, iuxta dicta disp. præced. ergo actus ipse ut moralis potest etiam esse verè subiectum alicuius moralitatis accidentalis. *Adde*: Nam aliquod subiectum quod debet assignari pro actu morali ut moralis; sed hoc nequit esse (v.g.) Petrus, quia propriè non recipit denominationem moralis: non enim dicitur propriè *consonus*, aut *dissonus rationi*: ergo est actus humanus: ergo etiam actus, ut constitutus iam formaliter in linea morali, potest esse verè subiectum alicuius moralitatis accidentalis.

5 Respondebis, prædicta convincere de actu bono, eò quod nequit stare bonitas actus desumpta ex obiecto, nisi adsit bonitas desumpta ex pluribus occurrentibus, iuxta illud, *Bonum ex integra causa*. At quia ad malum sufficit quilibet defectus, potest contingere, quod actus sit malus præcisè ex obiecto, vel quia omnes circumstantiæ secundum se sunt bonæ; vel quia præscinditur ab eis, ut contingit in hoc actu, *Volo furari*, vel in hoc, *Volo inbonestè vivere*.

Contra est: Nam repugnat, actum malum habere malum obiectum, & non habere aliquam circumstantiam pravam: ergo quamvis quilibet defectus moralis satis esset ad malum, non potest tamen reperiri solus defectus desumptus ex obiecto. Antecedens probatur: nam repugnat, actum habere malum obiectum sine circumstantia alicuius intentionis, & durationis, sicut repugnat actus cum sola essentia adhuc individuali sine aliqua intentione, & duratione: ergo repug-